



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 50. Index librorum a Facultate Parisiensi proscriptorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæcul. XVI.

A. C. 1544.

§. L.

Index librorum a Facultate Parisiensi proscriptorum.

*Argentre l.c.* Die secunda Maji eadem Facultas ad Hieronymum Seripandum Fratrum Ordinis S. Augustini supremum Ministrum literas dedit, in quibus ex ejus Religiosis quosdam de Protestantium erroribus suspectos esse nuntiabat: cum autem Hieronymus nullum ad hasce literas daret responsum, Facultas mente Augusto rursus ad eum hac de re scripsit, tandemque responsum obtinuit. Postea die vigesima tertia & vigesima nona Maji, nec non decima quinta Julii eadem Facultas præcepit, ut Catalogus instrueretur, qui sexaginta quinque libros ordine alphabethico recensitos unacum eorum Auctoribus complecteretur. Prodiit hic Catalogus die decima tertia Augusti, ac paulo post eodem anno secunda illius editio plurimis aliis libris a Facultate proscriptis aucta fuit. Hæc additio subjungebatur epistolæ præliminari *sub correctione sanctæ Matris Ecclesiæ, ac sanctæ Sedis Apostolicæ.*

Porro inter hosce libros reperiuntur Georgius Æmilius, Althamerus, Cornelius Agrippa, Artopæus, Schofferus, Biblia Roberti Stephani, Bren-  
tius

tius, Bibliander, Bedion, Bucerus, Sæcul. XVI.  
 Bullinger, Calvinus, Cardanus, A. C. 1544.  
 stallion, Doletus, Erasmus Roteroda-  
 mus, Faber Stapulensis, Ferius, Guil-  
 lodus, Gesnerus, Lorichius, Justus  
 Jonas, Lambertus, Martinus Luthe-  
 rus, Joannes Mayer, Melanchton, Se-  
 bastianus Munsterus, Petrus Martyr,  
 Conradus Pellicanus, Urbanus Rhe-  
 gius, Joannes Bugenhagius, Sarce-  
 rius, Spangenbergius, Ulricus Zwing-  
 lius, aliique. Pariter ibidem proscri-  
 ptum legitur opusculum Polydori Vir-  
 gili de *Inventoribus rerum* in tres libros  
 divisum, ac primo Parisiis apud Rober-  
 tum Stephanum anno salutis millesimo  
 quingentesimo vigesimo octavo, postea  
 vero Basileæ anno Christi millesimo  
 quingentesimo quadragesimo excusum.

Adjectus est postea alius index eo-  
 rum librorum, quorum Auctores sunt  
 incerti, hos inter refertur præter alios  
 I. *Alcoranus Franciscanus de stigmatifato  
 idolo, quod Franciscum vocant*, II. quod-  
 dam *Diurnale Romanum Lugduni impres-  
 sum apud Theobaldum Paganum*. Deni-  
 que subjungitur Catalogus librorum, qui  
 Gallice conscripti itidem juxta alphabe-  
 ticum ordinem enarrantur præter cete-  
 ros omnes libros, qui ab anno millesi-  
 mo quingentesimo quadragesimo quar-  
 to usque ad annum Domini millesimum

Sæcul. XVI quingentesimum quinquagesimum quin-  
A.C. 1544. tum prodierunt: Unde ibidem recense-  
 tur Joannis Calvinii Commentarius in  
 epistolam ad Titum, qui Genevæ a Jo-  
 anne Girardo circa annum Incarnatio-  
 nis dominicæ millesimum quingentesi-  
 mum quinquagesimum publicam lucem  
 aspexit. Tandem etiam præter opera  
 Bernardini Ochini censura notatur li-  
 ber, cui titulus: *Obitus Martini Lutheri*,  
 editus anno reparatæ salutis millesimo  
 quingentesimo quadragesimo sexto.

§. LI.

*Quorundam librorum typis edito-  
 rum censuræ.*

*Argent. l. c.* Die vigesima septima Maji eadem Fa-  
*t. I. app p. 13.* cultas, audita relatione quorum-  
*8<sup>o</sup> 14.* dam Doctorum, qui nonnullos libros di-  
 scusserant, necessarium censuit, ut libro-  
 rum proscriptorum indici inferatur opus,  
 cui titulus: *Speculum Religionis*, ab Ab-  
 bate S. Victoris Lutetiæ Parisiorum elu-  
 cubratum: cum vero hanc sententiam  
 exequi aliquamdiu differret, die decima  
 quinta Julii Claudius Berthaut Theolo-  
 giæ Doctor supplicavit, quatenus ea-  
 dem Facultas illius executionem ad-  
 hucdum differre vellet usque ad unde-  
 cimam mensis proximi diem, eoquod  
 præfatus Abbas hujus libri Auctor opus  
 suum emendare, atque ab erroribus, qui  
 in